

| |
|----------------|
| 4 ^o |
| Philos. |
| 1209 |
| |

1209 Q. D. B. U.

DISPUTATIO METAPHYSICA.

De

VERITATE
TRANSCENDEN-
TALI,

Quam

Summa Veritate Adjuvante,

PRÆSIDE

Viro Plurimum Reverendo, Amplissimo,

Excellentissimo & Doctissimo

DN. JOHANNES FAUSTIO,

SS. Theol. Doctore Logices & Metaphysices in

Alma hac Argentoratensium Universitate Professore publico,

Patrono, Præceptore, Fautore & Promotore suo omni

observantiæ cultu per ætatem venerando

colendo.

Publico Eruditorum examini submittit.

Author & Respondens.


JOHANNES ADAMUS SCHOTTIUS,

Mülbacensis, in valle S. Gregorii.

Die 29. Mensis Febr. horu loco soliti.

ARGENTORATI,

Literis JOANNIS FRIDERICI SPOOR.



VIRIS

Plurimum Reverendis, Clarissimis, Experientis-
simis, Amplissimis, Spectatissimis

DN. JOHANNI RUDOLPHO Saltzmann/
Philosoph. & Med. Doct. P.P. & h. t. facultatis Medicinæ
Decano Spectabili.

DN. JOHANNI FAUSTIO, SS. Theol. D
Logices & Metaphysices Prof. P. celeberrimo.

DN. JOHANNI GEORGIO Erhardt/
Med. Doct. & Pract. felicissimo.

DN. M. JOHANNI GEORGIO Ernst/
Diacono Palæo-petrino vigilantissimo.

DN. WENDELINO Schöttel/

DN. JOH. JACOBO Saltzmann/


in Domo recognitionis
mercium destinata ca-
ratoribus cum cæteris
fidelissimis, & huic ho-
spiti meo observanter
colendo.

Dominis Mæcenatibus, Patronis, Promotoribus,
Præceptoribus, Venerandis, Colendis.



Hoc exercitium Academicum tenuit
D. D. D.

Johannes Adamus Schott/ A. & R.



CVM DEO.

EXORDIUM.



Nihil delectabilius, nihil magis desiderabile, nec Procerum
amabile, nihil magis admirabile in rerum na-
tura veritate esse, adeo certum est, ut etiam ver-
tatis infensissimi hostes sub veritatis specioso
nomine, habitu atq; Schemate falsitates suas,
nugas & vanitates, & mendacia pingere &
palliare præsumant. Sed & illud certum est veritas dif-
ficilis in-
Sagacissimos & exercitatisimos quosq; Philosophos in investi-
gatione veri suam professos esse ignorantiam, & summam diffi-
cultatem: Democrito adeo abstrusa & occulta res videbatur ve-
ritas, ut eandem in profundo puteo latitare conquestus sit. Ari-
stotelis, qui tamen in vñs audit, & intellectus in eadem materia,
2. Met. c. 1. celebris est locus; ὡς περὶ τὰ τῶν κλειπιδῶν ὁμοία
περὶ τὸ φέψθαι ἔχει τὸ καθ' ἑμῆσαν ἕτω καὶ τὸ ἠελίους πυρῆς ὡς
περὶ τὰ τῶν φῶς φανερώτατα πάντων. Quemadmodum vesperti-
tionum oculi ad mediam meridiem cæcutiunt, ita & intellectus huma-
nus ad ea qua natura sunt manifestissima cæcus est: scilicet in luce
rerum tenui caligamus, in mediocri cæcutimus, in maxima in-
sanimus. Unde patet quod difficilis inventu sit veritas.

Causam alii aliunde petunt. Heraclitus rebus ipsis hanc diffi-
cultatem tribuit; male sanè; cum sol non sit accusandus, quan-
do ob oculorum imbecillitatem, eum non possumus intueri. E-
nec res ipsæ sunt culpandæ cum non omnia possumus intelligen-
re. conf. Arist. l. c. Nos difficultate rei non absterrii nihilominus
pro viribus eo cum DEO contendemus, ut in quo Veri Transcen-
dentis ratio formalis consistat? indagemus. Sicubi in re tam
ardua atque intricata cuiuspiam cespitare videbimur, ipsa rei diffi-
cultas: Propositio

cultas apud bonos quibus etiam *id* voluisse placet, nos, ut speramus, facile excusabit, veniam impetrabit. Faxit Summa ac independens veritas, ut de Vere non nisi Vera dicamus.

Sit igitur In Nom. Dni.

THESES. I.

Homonymia evolutio. *Sermo nobis erit de Veritate Transcendentali præcisè, quæ omni enti vero, positivo, actuali, competit & contra distinguitur veritati in significando, quæ est in vocibus & rerum conceptibus quarum signa sunt, ut Philosophus docet, i. de int. c. 1. quibus & Suarez. 4. 8. Metaph. in præcæm. veritas in repræsentando, quia res ipsas repræsentant, attribuitur. Et veritati in cognoscendo, quæ est conformitas iudicii intellectus cum objecto cognito: ea de qua nos loquemur vocatur alias enitativa, in essendo, Metaphysica, rei, objectiva, quia per eandem res seu objectum vere est & esse dicitur, id quod est: dicitur & radicalis & fundamentalis, quia est fundamentum & radix veritatis*

Vindicatur distinctio veritatis in essendo, significando, & sciente, ut adeo rebus tantum per denominationem extrinsecam conveniat, quemadmodum v. g. sanitas urinæ & medicamentis cibis quoque tribuitur per denominationem extrinsecam, quia nimirum illa eandem indicat, hæc vero efficiunt, animali autem formaliter; ita quoque censet iste vir doctus, ab intellectu cognitione veritatem formaliter denominari; rem vero & orationem per denominationem extrinsecam veram denominari: res scilicet terminativè quia veram cognitionem intellectus terminant; Oratio significativè, quia eandem significant, sicut ergo non constituitur triplex ea propter sanitas, una in essendo, altera in significando, tertia in efficiendo, ita nec triplicem posse constitui veritatem, quarum prima sit formalis, altera significativa, tertia in cognoscendo arbitratur. Verum nos, ut infra Th. 7. videbitur, gravissimis rationibus demonstraturi sumus, veritatem rebus non per extrinsecam denominationem tribui, verum intrinsecè & formaliter, quo obtento, datæ distinctioni suæ

CON-

constabit vigor nec sine causa quis de bonitate illius comparationis dubitaverit, cum nemo sit qui non videat, longè disparem esse, rationem sanitatis respectu cibi & urinæ, quam veri respectu entis: Sanitas enim non respicit cibum per modum proprietatis, quemadmodum verum ens. De hujus inquam, veritatis in essendo ratione formalis solliciti erimus.

THESES. II.

Cum itaque quaeritur, *quanam sit ratio formalis Veritatis Transcendentalis? id quaeritur, quænam sit illa ratio per quam res vera, ut talis est, à priori constituitur & ab alio distinguitur? cui formalis prius materiale, ipsam scilicet essentiam vel entitatem subiecti, quod verum denominatur, supponimus. Nescio autem utrum prius probare debeam Veritatem esse veram & positivam entis affectionem, id enim adeo certum est, ut hactenus nullus quantum quidem mihi constat, virorum doctorum id in dubium vocarit, quin mirus in eo omnium est consensus, veritatem enti verè inesse, & cum ente reciprocari, neq; tamen ad primum entis conceptum pertinere, sed hunc potius ceu radicem sequi non quidem à parte rei tamen secundum nostrum concipiendi modum: quod ad veræ affectionis rationem sufficere eruditi jamiam evictum dedere contra Javellum. vid. Clarissimi Stahlî inst. Met. p. 30. 31. & alios qui sine numero adduci possent. Unde inventum exurgit argumentum; Quicquid verè competit enti, & cum eo reciprocatur, nec tamen est primus entis conceptus, neq; de essentia entis, & ex essentia ejus ad minimum virtualiter fluit, id est vera entis affectio. Verum si Veritas verè competit enti, E, Veritas est vera entis affectio.*

An veritas sit affectio entis.

THESES. III.

Non operosus ero in Etymologia & Homonymia veritatis latius evolvida: præstitum id est ab omnibus Metaphysicis doctoribus, si cui animus est, adeat D. Scharf. Theor. Tr. disp. 7. 8. Scheiblerum aliosque. Nostri instituti est rationem formalem paulo altius persequi. Mirus vero Doctorum, uti fieri amat, in rebus abstrusioribus, hic est dissensus. Communis ferè hodie (uti B. Dn. D. Scharf. in cit. lib. p. 337. 6. 16. loquitur, & Frommîus in Met. pag. 335. & Suarez. disp. 8.) omnium acuratio

Communis sententia & definitio.

A 3

Meta-

Metaphysicorum, & qui subtiliores sunt, sententia est, veritatem Transcendentalem describendam esse per relationem ad intellectum, eamque exponunt pervocabula conformitatis, congruentiæ, convenientiæ, adæquationis & similia: Hoc modo *Veritas est conformitas*, congruentia, convenientia, adæquatio rei cum intellectu; *verum ens quod intellectui conforme*. ita Fonseca l. 4. Met. c. 2. Suarez disp. c. & omnes qui eum sturmatim sequuntur. Jacobus Martini, Jacchæus, Scheiblerus, Scharfius, Frommius, Stahlius & infiniti alii, qui ita arbitrantur, plene & perfecte veritatem hanc definiri, ejusque conceptum essentialem exprimi.

THESES. IV.

Nos equidem facile largimur, omne ens verum etiam conforme esse, intellectui præcipue divino (vel si placet tantum divino) & viceversa, omne ens quod conforme est intellectui esse verum; interim tamen in illa conformitate ratio formalis veri capropter non est posita; veluti non sequitur omnis homo est risibilis & omne risibile est homo. E. in risibilitate ratio formalis hominis consistit. Omne quantum est divisibile & omne indivisibile est quantum. E. indivisibilitate ratio formalis quanti consistit, & sic in aliis quoque. Nec negamus hanc de conformitate sententiam hodie esse communioem: Sed neq; illud negare possunt, miram de illa conformitate inter ipsos esse difformitatem, uti ex citatis autoribus constat; Sunt enim qui dicunt illam conformitatem esse relationem prædicamentalem, alii transcendentalem, alii realem, alii rationis. Sunt qui statuunt illam congruentiam esse denominationem extrinsecam, alii addunt insuper intrinsecam. Fons. l. 4. Met. c. 1. q. 6. sect. 8. Distinguit inter *conformitatem actualem*, quæ in hoc consistit, quod res talis sit, qualis actu intelligitur: & *aptitudinem*, qua res talis est, ut vero conceptu possit intelligi. Ultramq; quidam intelligunt: quidam aptitudinale sufficere censent. vid. Scheib. l. 1. Met. c. 9. n. 27. Mastius tract. de Transl. l. 4. c. 1. ait. conformitatem illam sumi *vel active*, pro ipsa similitudine ab actione mentis proveniente: *vel passive*, pro re, per ejusmodi similitudinem representata. Fons. l. 4. Met. c. 1. q. 6. sect. 8. addit istam conformitatem non esse in essendo, sed in repræsen-

Non sequitur omnne ens est conforme intellectui. Et vice versa. E. Ratio formalis veri in eo consistit

Diffensus autorum circa conformitatem.

sentando: & quis omnia persequatur. Videat qui volet Suarezium tota disp. 8. addatur Scharf. Th. Transc. disp. 7. 8. 17. 18. 19.

THESES. V.

Disputant porro Patroni istius definitionis, an illa conformitas significet principaliter entitatem rei, connotando cognitionem vel conceptum intellectus? an, contra hunc significet, illam vero connotet? Magna & intricata quoque difficultas est, cum intellectus sit vel divinus vel humanus (quantum quidem ad hoc pertinet) quæritur igitur utrum illa conformitas sit intelligenda in respectu ad intellectum divinum, utpote in quo summa est veritas & independens & infallibilis? an vero per ordinem ad intellectum humanum ad quem in *δοκιμασία* nonnullarum rerum imprimis artificialium solemus nonnunquam recurrere? An vero in respectu ad utrumque primario licet & principaliter ad divinum; secundario vero ad humanum, quatenus quædam est participatio intellectus divini, & quantum in eo hujus quædam perfectio relucet, ut Scheibl. loquitur p. 132. n. 25. Nondum finis est disceptationum; quando enim obtinuerunt quod verum formaliter consistat in conformitate cum intellectu; oritur nova & valde intricata quæstio atque difficultas, an referatur ad intellectum in ratione *cogniti & cognoscenti*? quod agnoscit Suarez Verforius aliique; an per modum *causæ & causati, normæ & normati*? quod cit. Stahlio inst. Met. p. 301. placuit Fonseca: sed, rectè judicante eodem, nimis absurdè, cum hac ratione ipse DEUS, qui tamen summa & infallibilis veritas, non esset verus, utpote qui ad nullum intellectum practicum potest referri, vid. Stahl. l. c. An vero *indifferenter* prout abstractabit ab istis modis determinatis, & idealiter sumitur. Nullus ex omnibus his modis est, qui non etiam num habeat suos patronos & assertores, imo si B. Scharf. assurgimus, omnes hæ opinioniones *suo sensu & modo*, si dextrè accipiantur habent in se suam veritatem, ut ipse late disputat cit. disp.

Alia difficultates recensentur.

Nova discrepantia circa intellectum.

THESES. VI.

Nobis non integrum est vel concillare, vel in ordinem istas opiniones redigere, est enim res intricatior, quam quæ à nobis expediti queat: Neq; etiam nostri, id est instituti, transigant ipsi

ipsi inter se, si possibile est! Nemo tamen opinor eos nos adiget, ut nos nudæ communis opinionis vinculo alligari patiamur; cum in Republica libera (Philosophica) liberæ sint mentes, si tamen firmissimis quis nitatur rationibus. Proponemus igitur bona cum venia, citra ullius Præjudicium brevibus, quæ nam nobis stet sententia de veri ratione formali, per quam res ut vera constituitur, & ab omnibus alijs distinguitur.

THESES. VII.

Dimissa itaque conformitate seu actuali seu potentiali, ad intellectum seu divinum seu creatum seu utrumque; statuimus (cum Clarissimo Ebelio in Aphor. Metaphycis p. 21. §. 12.) rationem formalem Veritatis Transcendentalis consistere in *convenientia vel participatione essentia enti inesse debita. Et ita definimus: Veritas est convenientia vel participatio essentia inesse debita. Verum autem ens, cui convenit essentia inesse debita.* Per essentiam autem inesse debitam, intelligitur essentia, quæ tam enti in genere, quam cuique in sua specie debetur. Ita homo vere homo dicitur, cui essentia hominis, nempe natura rationalis competit; aurum verum aurum est cum ipsi convenit essentia auri. Et sic in cæteris; quæ tam clara, perspicua & dilucida sunt, ut ab omnibus capi, à nemine salva veritate negari possint, ut mox clarissimis argumentis & firmissimis demonstrationibus probabimus. Si tamen prius, quod superius Th. I. promisimus, removerimus illam sententiam, quod verum formaliter in denominatione extrinseca consistit, quod quidam propugnat, ex Vasquez, Mendoza, Thomas Capreol.

THESES. VIII.

Probamus igitur formalem veritatem in nuda denominatione extrinseca non consistere. 1. exinde quia ipse ille vir p. 30. suarum institutionum Met. solide demonstrat, nec quisquam negare potest, omnem proprietatem demonstrabilem fluere ex essentia tanquam radice & causa, si non *realiter* semper, quod tantum in proprietatibus Physicis (idque etiam non in omnibus forte) adeoq; *materialiter*, requiritur, saltem *virtualiter*, tanquam ratione à priori, sicut etiam fit in attributis & perfectionibus divinis. Unde argumentum *ἀπο τοῦ*. *Omnis proprietates demon-*

Nostra
sententia
proponi-
tur,

Quid veri-
tas sit.

Formalis
ratio veri
non confi-
sit in de-
nominati-
one extrin-
seca.

demonstrabilis de subiecto, fluens ex essentia tanquam causa sive formali, sive virtuali, debet inesse suo subiecto. At veritas est *proprietas demonstrabilis de subiecto, fluens ex essentia tanquam causa virtuali* uti denuo concedit p. 31. conf. p. 32. *E. veritas debet inesse suo subiecto. Quicquid autem subiecto inest ut proprietas fluens immediate ex essentia, id non potest consistere in denominatione extrinseca, quia ipso iudice p. 304. denominatio extrinseca est, quando forma denominans est extra illud quod denominatur: Quemadmodum v. g. paries visus dicitur per denominationem extrinsecam, qui forma (visio) à qua paries denominetur visus, est extra parietem in homine videlicet vidente; Et ut ex Theologorum nostrorum schola aliquid addam quemadmodum iustitia Christi in articulo justificationis nos justos denominat denominatione extrinseca, scilicet quia non est inhærenter in nobis, ut hic supponimus, tanquam postulatum ab ipsis Theologis firmiter ex scriptura probatum. Atqui Veritas inest subiecto ut proprietas demonstrabilis fluens ex essentia seu causa virtuali, vel tanquam à ratione à priori, ut loquuntur, sicut modo demonstravimus. E. Veritas non consistit in denominatione extrinseca hoc argumentum prorsus & invictum.*

THESES. IX.

Probatur. 2. quia verum significat rem ut efficere & determinare apta est veram sui cognitionem (ad hominem disputo) v. cit. inst. Met. p. 303. Concl. 1. quia quælibet res apta est cognosci, uti est, sed ad hanc ipsam cognitionem usurpant autores vocem veri. Unde denuo infallibiliter ut arbitror argumentari possum. *Nulla aptitudo ad fundandam veram sui cognitionem est rei denominatio extrinseca. Verum formaliter, ex mente illius, est aptitudo, sive dicit aptitudinem ad fundandam, determinandam veram sui cognitionem. E. verum formaliter non est rei denominatio extrinseca.* Minor est ipsorum re & verbis: Major manifesta est natura denominationis extrinsecæ in qua forma denominans debet esse extra subiectū: At hæc aptitudo non est extra rem, quæ dicitur apta ad efficiendam veram sui cognitionem, sed in ea, qui igitur erit denominatio extrinseca? hoc adeo certum est, ut etiam aptitudo ad τὸ videri non sit extra parietem visum, sed in pariete, licet

B

visio

visio actualis sit extra, non in pariete, sicut aptitudo ad 7^o intelligi est in lapide, licet actualis intellectio sit extra, non in lapide, ita quoque cognitio actualis est quidem extra rem cognitam, nullo modo vero quod res apta est ad cognoscendum est extra eam, sed vel maxime in ea.

THE S. X.

Ex dictis jam facile patet, reliqua quæ ad hujus rei, autor iste declarationem affert, non posse stare; nempe quod cognitio potentialis & actualis sint unum & idem, & non importent diversa subjecta, quemadmodum calor, qui est, & qui esse potest, non sunt diversi calores, neque in diversis stabulantur subjectis; si enim cognitio potentialis illa dicitur quæ est rei prout apta est sui terminare cognitionem actualem, utique non erunt unum & idem; & important sine dubio diversa, in quibus stabulantur subjecta; quemadmodum potentia ad 7^o videri seu aptitudo ad visionem in pariete & actualis visio non sunt unum & idem, neque unum idemque subjectum habent; etiam si enim potentia cognoscendi & actus cognitionis sint in cognoscente, seu actu seu potentia (quam *activam* nominare hoc loco possumus) aptitudo tamen ut aliquid cognoscatur vel cognosci possit non est, in cognoscente, sed in objecto vel re cognita ut patet, quam *potentiam passivam*, in ista oppositione vocare possumus; *res enim intrinsecè apta est fundare istam cognitionem*, ex quo jam liquet istam collationem sanitatis respectu urinæ, medicamenti & animalis, & veritatis respectu intellectus, orationis, & rei, ita ut in hac tantum sit per denominationem extrinsecam, in conceptu vero nostro inhærenter & formaliter, sicut sanitas in homine est intrinsece, in urina significativè & extrinsecè sicut & in medicamento effectivè, satis in commodam esse, quam Cajetanus. 1. part. q. 16. Art. 6, citante Suarezio. d. 8. Sect. 7. num. 9, p. 101. etiam usurpavit.

THE S. XI.

Proponemus adhuc aliquas aliorum descriptiones antiquam nostram probemus mentem. Thomas Rhædus in pervigilio Jovis. 0. 27. 28. definit *veritatem, quod sit propriorum signorum essentia possessio: & verum cui propria essentia indicia conveniunt.*

Rhædi definitio Examinatur.

nunt. Hic quidem faciles erimus, si hæc *tanquam declaratio* veri proponatur, verum enim est, id esse verum aurum, hominem, equum aut qui simile, cui propria essentia (auri, hominis, equi) indicia verè conveniunt: quod autem in illa possessione ratio formalis veritatis consistat, hancque illa definitio exprimat, negamus, & dicimus esse consequens. Non jam scrupulosè inquiramus in proprium termini *possessionis* significatum, qui conceptum prædicamentalem primo inferre videtur, dicit enim (ut B. Do. D. Scharf. in Th. Tr. p. 334. censet) habitationem rei, quæ omnino distat à re, quæ habetur vel possidetur; ut si dico, *iste possidet aurum*, ibi sane possessio auri, non est ipsum aurum. Quod si nunc in hoc negotio vocabulum possessionis presso isto significandi modo acciperetur, periret summa entis simplicitas; Sed ut dixi tam scrupulosi non erimus; concedamus abstractivum & ab omni imperfectione, compositione liberatum significandi modum, qualis forte etiam in aliis occurrit (cum v. g. quidam ens dicunt esse id, quod habet essentiam, & ita in multis aliis) sumamus terminum secundum nostrum concipiendi modum tantum distinctum nondum tamen dicit ista signorum essentia possessio, ipsam rationem formalem veritatis ut dicere cœpi, sed saltem consequens ad essentiam ut vera. Non enim est legitima consequentia, ex quo veritatem alicujus rei colligimus, in eo consistit ratio formalis veri; Ex signorum essentia propriorum possessione colligimus rei veritatem. E. in illa signorum possessione consistit ratio formalis veri. Respondeo 1. per instantias ex possessione communium accidentium collectorum solemus quandoque rem veram esse cognoscere & apprehendere. E. in possessione illorum accidentium consistit ratio formalis veri? ex risu, sermone, colligo Paulum esse verum hominem, risus tamen. &c. sermo non est ratio formalis Pauli. 2. Limbo Maj. *Ex quo tanquam ex vera ratione à priori veritatem alicujus cognoscimus, ita ut ejus in vero, quæ tali formaliter non detur alia causa, in eo consistit ratio formalis veri.* Est sic negatur minor.

Possessio quid stri- de dicat Scharfii.

Argum. Rhædi.

Resp. 1.

THE S. XII.

Longius à vero recedunt illi, qui opinantur verum formaliter inferre accidens aliquod reale, seu absolutum, seu respectu aliorum opinio-

vum, quod si verum est, faceret veritas compositionem in Ente, eam scilicet quæ est ex subjecto & accidente, sicut ignis est compositus ex esse suo, & calore suo, & anima ex esse suo & sua doctrina. At nemo non videt id longè absurdissimum esse; Nam etiam de simplicissimo ente, quod primo suo conceptu statim omnem compositionem respuit & excludit, dicitur quod sit verum, quod non sine repugnantia fieret, si veritas faceret compositionem in eo, cui convenit. Ostendo autem falsitatem illam hunc in modum: præscinde ab ente omne id quod ab extra essentia addi potest, ens nihilominus manebit verum. v. g. remove subtili mentis cogitatione ab essentia auri omni id quod videtur superaddi posse ad essentiam auri, adhuc dicitur esse vera essentia auri. *Quo autem præciso res nihilominus manent vera, in eo non consistit ratio formalis veri;* Atqui præciso omni accidente seu absoluto seu respectivo res nihilominus manent veræ. E. in accidente, quaecunque tandem esse dicatur seu respectivo seu absoluto, nullo modo consistit ratio formalis Veri.

THESES. XIII.

Ex positis jam aliquo modo definitionis nostræ veritas & claritas firmata videtur, saltim indirectè, per remotionem sententiæ contrariæ; quæ amplius jam asserenda & directe astruenda venit: dixi supra th. 2. formale mihi esse aliud quam illam rationem, à qua, aliquid formaliter & à priori denominatur: ita parietis albi formale est albedo, à qua, ceu forma essentiali, paries albus formaliter, à priori & in esse albi constituitur & albus denominatur, ita hominis justitiam temperantis formale est justitia, temperantia, à qua ceu forma essentiali, homo justus, temperans, formaliter, à priori, & in esse justitiam temperantis constituitur. Id ergo non erit formale veri, nec potest esse quod veri, ut tale est, essentiam consequitur sed id, quod in vero primum est, prioritate causalitatis, quemadmodum rationale esse, est formale hominis. Id autem superius diximus esse essentia in esse debita, convenientiam vel participationem, quod hoc modo evincitur potest. *Quicquid causa vel ratio est in vero, ut id possit esse conforme intellectui, veramq; sui vel terminare vel fundare, aut efficere cognitionem, id est formale veri;* non enim arbitror futurum qui negat.

Probatur
nostra de-
finitio.

negat id formale veri esse, quod in eo prius est prioritate causalitatis, ut supra expositum est, quemadmodum communiter docent causam & rationem appetibilitatis in bono esse formale boni. V. Stahl. instit. Met. p. 312. quemadmodum igitur causa appetibilitatis est formale boni, uti communiter asseritur: nos vero, jam non disputamus, sed ut concessum saltim supponimus: ita quoque causa cognoscibilitatis, vel conformitatis aptitudinalis erit formale veri: *Atqui convenientia vel participatio essentia est causa cognoscibilitatis. E. convenientia essentia erit formale veri.* Minorem facile probo, si enim v. g. quæratur aurum possit gignere veram sui cognitionem vel cur aptum sit conformari intellectui nihil melius, aut commodius respondebitur, quam quia verè participat essentiam auri: Cur Petrus est verus homo, quid aliter respondebitur, quam quia ipsi convenit essentia humana: Unde videmus illam convenientiam essentia esse priorem illa conformitate, vel cognoscibilitate, prioritate causalitatis, adeoque non hæc est illius formale, sed consequens, sicut appetibilitas non est formale boni sed consequens.

THESES. XIV.

Est hæc sententia referente Dn. Scharffio in Theor. Tr. p. Massii sententia. 335. th. 12. Didaci Massii. l. 4. de Ente p. 418. qui ait veritas rei est proprietas sui esse, quod est cuilibet rei à natura definitum, ut isti Philosopho *verum idem sit, quia habet id, quod per naturam debet habere.* Judicium vero Dn. Scharffii de hac Massii definitione, non obstante, quod ille conformitatem cum intellectu multis asserat, hoc est: Hæc sententia *propius accedit ad ipsam quidditatem veri;* ex communi enim loquendi more notum est, quod vocite mus verum id, quod est uti esse debet; sic vera effigies dicitur, quæ est, ut esse debet, vera descriptio quæ est uti esse debet; verus calceus dicitur quando est, ut esse debet; sic vera propositio dicitur, quæ est, ut juxta conditionem rerum esse debet. Hæc ille: quamvis postea arbitretur positam definitionem nondum plane & plenè formale exprimere, verum cum relatione ad intellectum demum adæquatè constitui, quod nos quidem salva illius viri autoritate negamus. Suarezii dicitur sput. 8. sect. 7. n. 17. 18. p. 190. 191. nihil in ea desiderare potuit, quam quod nova sit, eive potius talis apparet dicitque, *non omnino esse.*

no esse improbabilem. Sed qui tam nova erit cum ipsius. S. Augustini & Anselmi ab authoribus illis esse perhibeatur. Verum salva res est etiam si à nullo hactenus tradita fuisset, satis tamen sese adductis tueretur rationibus atque momentis.

THESES. XV.

Aliorum definitio in negatione formale quaerentium. Nobis scilicet expositione Suarezii non repugnat.

Nondum discedimus à declaratione nostræ definitionis; Suarezius loco modo citato, proponit quorundam Scholasticorum sententiam, formale veritatis in negatione fictionis vel apparentiæ ponentium; qui hoc modo describunt. *Veritas est negatio fictionis, vel apparentiæ.* Quæ si eo modo, quem Suarezius ostendit declaratur, nobis quoad rem non est adversa, quamvis modus loquendi sit diversus, idem enim, stante Suarezii expositione, dicunt, quod nos, jam ante probavimus; Aureol. ap. Capreol. in 1. dist. 13. quaest. 3. ita declarat, ut concipiamus & explicemus veritatem alicujus rei, v.g. hoc esse verum aurum, non recurrimus ad exemplaria divina, neque ad aliquem alium intellectum, ut ex usu ipso concipiendi & loquendi consistat, sed per negationem id declaramus; dicimus esse enim verum aurum quod non est fictum, vel tantum apparens, seu quod habet propriam auri naturam, quam ex proprietatibus & effectibus colligimus. Unde hæc veritas magis videtur explicanda *per principia intrinseca rei*, ut verus homo dicatur, qui essentialibus principis hominis constat, hoc autem nihil addit (iudicio quidem Suarezii ex hypothesi enim loquor) supra entitatem rei, nisi negationem fictionis seu apparentiæ. Et paulo post p. 191. dicitur res aliqua vera in tali ratione entis, quia veram naturam, aut propria principia essentialia illius rei habet, dicitur autem habere veram naturam, quia non habet fictam, nec extraneam, & apparentem, sed eam, quæ est propria talis rei: sicque dicitur verus DEUS, ut à falsis distinguatur, & vera divinitas, ut indiceatur non esse fictam, sed quæ ex se talis est, hæc ex Suarezio probabiliter differente asserere volumus majoris lucis ergo. Et profecto si res ita est, bene se hæc habere possunt, si ad declarationem veri adhibeantur, imo vice *qualiscunq; descriptionis* non male usurpantur: Unde Clarissimus Scheiblerus. L. 1. Met. c. 9. judicat

cat tanquam commodam posse admitti. Et Scharf. in Theor. Tr. p. 357. illam in gratiam tyronum tanquam popularem & faciliorem proponit. Nos uti non audemus eandem plane rejicere, ita magis videtur convenire si vocabula *positiva*, quamdiu haberi possunt, in exponenda, ut omnium aliarum rerum, ita & veri natura *usurpemus*, cum definitio dicere debeat quid res sit, non quid non sit: licet interdum quoad materiale & rem substratam idem reapse dicunt. Obiter hic notamus, nobis non undiquaque probari quod Suarez dicit veritatem, prout à nobis quidem declarata est, entitati rei nihil addere, præter negationem. Si de additione alicujus realiter distincti loqueretur Suarez, id quidem bene stare posset; verum cum omnem alium etiam secundum nostrum conceptum, modum super additum positivum negare videatur, id est, quod negamus. Non enim putamus absolute & simpliciter veritatem, si per convenientiam essentiæ inesse debita finiatur identificari cum ente formaliter tali, quis enim non videt, *aliud* secundum nostrum concipiendi modum esse, *si quis loquatur de essentia præcisè*; vel alicui non repugnare ut sit in rerum natura: *aliud habere essentiæ sibi debitam*, illud est (ut communiter docent, & nos, ut concessum, supponimus) formale entis ut ens est; hoc ejusdem ut verum est. Sic aurum præcisè, ut essentiæ habet, ens est: ut propriam inam, sibiq; debitam, ens verum, vel aurum verum est. Hæc ex hypothesi attulimus, stante scilicet illa explicatione, quam Suarezius partim ex mente sua partim aliorum proponit, nostræ non multum est dissimilis. Alias possent forte non pauca in ista explicatione desiderari.

Naturæ Suarez.

THESES. XVI.

Possimus & forte deberemus hic etiam adversæ partis rationes examinare atq; discutere, ex quarum refutatione, aliquid lucis thesibus adderetur nostris, veruntamen quia nimis & ultra scopum paginæ excrescerent, id ipsum discursui reservabimus. Rogantes interim Deum Verum ut nos in veritate vera subinde conservare velit. Cui quoque debitas & humiles pro præstito auxilio perfolvimus gratias.

AMEN.